1. Gamber De mira cranii fractura in homine per 40 annos superstite 1718
2. Gambenfeld. De labari uteri et aborsu 1747
3. Gasser: De morbo nigro Hippocratis 1761
4. Gassmann: Scirrhum uteri 1757
5. Gaupp. De novo membra amputandi modo 1722
6. Gilchrist: De aneurysmate. 1757
7. Gilg: De morbillis 1728
8. Gilg: De exploratione graviderum 1752
9. Glaubrecht De odontalgia 1766.
10. Glorin: De dysenteria castrensi 1708
11. Glorin: De prima infantis vagitu 1706.
12. Glückher: Febrem inflamt. mesenterii interlinalem 1757
13. Goerlitz: Hydrops alius morbis succedens.
14. Goerlitz: De subitanea morte a sanguine in pericardium effuso.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ANEURYSMATE

QUAM

SUMMO ARCHIATRO PRÆSIDE

EX JUSSU ET AUCTORITATE

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

ARGENTORATENSIS

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDENDI HONORES

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME OBTINENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES THEOPHILUS GIBOLLET

NEOSTADIENSIS HELVETIUS

AD D. XXVI. SEPTEMBRIS MDCCLVII

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.

DEO
PATRIÆ
PARENTIBUS
PATRONIS
ATQUE
AMICIS
SACRUM.

§. I.

CUM *Aneurysma*, Thematis mei objectum, morbus sit, cujus sedem utplurimum Arteriæ constituunt, ut ab his exordiar, docendi ratio jubet; hinc quædam ad scopum nostrum necessaria de iis præmittam, quo sequentia eo melius intelligi queant. Est vero arteria canalis crassus atque robustus, figura conum quam proxime referens, cujus basis in corde reperitur, apex vero in arteriæ fine quærendus, sanguini ex corde versus omnia corporis puncta, tunicæ muscularis ope, ex fibris fere circularibus conflatæ, movendo dicatus.

§. II.

Arteriarum structuram quod attinet, quatuor ex tunicis conflantur, quas in communes atque

proprias dividere ſolent. Prima ſive extima communis vocatur, quoniam arteriæ aliunde advenit, atque præter hanc aliis quoque partibus in vicinia arteriarum ſitis, proſpicit eaſque inveſtit. Variat hæc extima pro ratione ſitus arteriarum; in thorace enim pleura, peritonæum in abdomine, in brachio & pede aponeuroſis muſculorum &c. (*a*) eandem ſuppeditare ſolet. Secunda, quæ ex propriis prima eſt, Celluloſa audit. Hæc ex duplici quaſi lamella componi videtur. Exterior laxior, quam plurimæ arteriolæ, venulæ, nervique haud ita parvi perreptant, eſt. Interior lamina denſior, ſolidior atque tendinea quaſi exiſtit. Tertia, ſive propriarum ſecunda, ex fibris fere circularibus, ſubrubris, in majoribus truncis ſatis ſolidis, componitur, Muſcularis ſalutatur. Quarta ſive ex propriis tertia, Intima vocatur, levis atque perpolita exiſtit (*b*).

(*a*) PLATNER *Inſt. Chirurg.* §. 425. (*b*) De tunicis arteriarum vide BORRHAAVE *Inſt. Med.* §. 132. HALLER *Prim. Lin. Phyſiol.* §. 27. ſeqq. LUDWIG *Inſt. Phyſiol.* §. 148. & *Diſſ. de Arter. Tunic.*

§. III.

Gaudent arteriæ duplici motu, dilatatorio atque conſtrictivo. Hic Syſtole, ille Diaſtole audit. Cauſam ſui partim in tunicarum elaſtica vi, in tunica muſculari præſertim, partim in ſanguine debita vi a corde in arterias propulſo agnoſcit. Mediante hocce motu hi canales ſanguinem ex corde

ad

ad omne corporis punctum vehunt. Satis magno hunc in finem instructæ sunt arteriæ robore, quod variis ex causis vel auctum nimis, vel præter naturam imminutum, varios producere morbos solet.

§. IV.

Hisce præmissis ad morbi nostri tractationem nunc pedem promovemus. Quoniam vero denominationis ratio ad denominatæ rei claram atque distinctam ideam haud parum confert; hinc ante omnia Aneurysmatis *Etymologiam* paucis evolvemus. Est vero Aneurysma Græcæ originis vox, quæ ex duplici fonte derivari solet. Quidam enim ἀπὸ τοῦ νευροῦ, a Nervo & α privativo, quasi diceres enervationem, hocce vocabulum deducunt: multis quidem hoc etymon minime probatur, cum enervatio debilitatem potius in tendinibus nervisque, quam arteriarum vitium designare soleat. Attamen haud adeo ineptam hanc derivationem censemus, si enervationis vox in sensu latiori accipitur, ubi quamlibet debilitatem denotat. Experientia enim testatur dari Aneurysmata, quæ ex tunicarum arteriam constituentium debilitate originem ducunt. Alii vero optime ἀνεύρυσμα ἀπὸ τοῦ ἀνὰ retro, rursum, & εὐρύνω dilato derivant, atque idem indicare dicunt, quod apud Latinos *Arteriæ Dilatatio*, Germanico idiomate ein Puls-Ader-Kropf/ audit.

§. V.

Sed missis Etymologiæ controversiis realem Aneurysmatis *definitionem* potius tradam. Est vero Aneurysma tumor præternaturalis, variæ magnitudinis diversique coloris, sanguine arterioso turgidus, a tunicæ alterutrius, vel omnium arteriæ tunicarum, nunc vulneratione, nunc ruptione, nunc ab acrioris humoris erosione, originem ducens. GALENUS (*a*) ἀνεύρυσμα definit, quod sit arteriæ dilatatio, quæ fit ore in arteria ex vulnere facto, quod nec mature obductum, conglutinatum, aut carne contectum fuit. Ast suo definito strictiorem esse hancce definitionem, ex Aneurysmatis divisione, §. seq. tradenda, mox patescet.

(*a*) *Lib. de Tumor. Cap.* 2.

§. VI.

Dividitur Aneurysma 1) in *Verum* atque *Spurium*. *Verum*, quod Galli *Aneurisme par dilatation* vocant, est dilatatio arteriæ præternaturalis, vel a debilitatis ejus membranis, vel quibusdam earum discissis, vel erosis, ortum ducens, unde postmodum tumor remanet, plerumque ejusdem cum cute coloris, plus minusve magnus, plus minusve aut etiam plane non pulsans, prouti Aneurysma vel parvum, vel magnum, vel recens, vel inveteratum atque callosum, sanguis etiam in eo contentus, vel fluxilis, vel coagulatus (*a*), existit. *Verum* hoc

hoc ſive genuinum Aneuryſma triplici modo iterum ſubdividitur: α) Arteria in omni ſuo ambitu diſtenditur, ita ut in tota circumferentia tumeat, atque ſaccum formet. Accidit hoc, quando nulla continui ſolutio contingit, & tunicæ quidem integræ manent, aſt tono ſuo privantur. β) Si arteria tantum in hac vel illa ſui ambitus parte dilatatur, ſicque tumor herniæ ſimilis excitatur, in oppoſita facie vero non ita ut verum ſaccum formet extenditur. Fit hoc, ſi tunicarum una vel altera diſcinditur vel eroditur, atque ſic in parte affecta reſiſtentia naturali minor adeſt. γ) Si arteria in omni ſua circumferentia diſtenditur, & in uno inſuper loco majorem in tumorem, quam in alio attollitur. Contingit hoc, ſi cauſæ α & β recenſitæ ſimul concurrunt (*b*). Omnes fere Pathologi verum hoc Aneuryſma ad illam cavitatis auctæ ſpeciem, quæ anaſtomoſis audit, ſed minus adæquate referunt; cum hæc ſtricte loquendo tantum in oris vaſorum obtineat. Hinc Illuſtris GAUBIUS (*c*) novam cavitatis auctæ ſpeciem excogitavit, quam Euryſma vocat, & definit, quum parietes arteriarum, nimium inter ſe diſtantes, ſpatium juſto capacius circumſcribunt. *Spurium* ſive *Nothum*, quod Gallis *Aneuriſme par epanchement* audit, tunc demum exoritur, quando ſanguis ex arteria quadam, ſoluta continuitate, per læſas tunicas inter partes muſculoſas, vel has inter & aponeuroſes, aut tegumenta communia effunditur, ibique tumorem ſæpius durum admodum, pro diver-

ſa

ſa ſtagnantis ſanguinis conditione, varie coloratum, non pulſantem, ſed obſcurum quendam motum atque ſtrepitum conjunctum habentem, format. Tribus potiſſimum modis Aneuryſma ſpurium oriri poteſt. α) Si in V. S. loco venæ arteria infelici ſidere aperitur; id quod crebrius accidit, ſi ex vena baſilica, cui arteria brachialis ſubjecta eſt (*d*), ſanguinem mittere volunt Chirurgi (*e*). Quod ſi illico tunc, poſt apertam arteriam, ſanguis effuſus integumenta attollit, Aneuryſma hoc ſpurium *primitivum*; ſin vero poſt aliquot demum dies id accidit, *conſecutivum* idem FOUBERTO (*f*) vocatur. β) Per dilacerationem. γ) Per eroſionem. Porro Aneuryſma quoque 2) in *Internum* & *Externum* dividitur. Hoc in arteriis partes corporis noſtri externas perreptantibus, & in primis ſub cute ſitis obtinet; illud vero in vaſis arterioſis partibus corporis interioribus proſpicientibus, ſedem ſuam figit. Internum Aneuryſma frequentius verum, externum ſpurium frequentius exiſtit.

(*a*) RUYSCH. *Obſervat. Anat. Chirurg. XXXVIII.* (*b*) LEDRAN *Trait. des Oper. de Chirurg. p.* 521. (*c*) *Patholog. p.* 85. (*d*) WINSLOW *Traité des Arteres* §. 141. (*e*) PLATNER. *l. c.* §. 428. HEISTER *Inſt. Chirurg. p.* 432. (*f*) MEM. DE L'ACAD. DE CHIRURG. *Tom. II. p.* 535.

§. VII.

Explicatis Aneuryſmatum differentiis, nunc etiam in eorundem cauſas nobis inquirendum eſt. His

His enim bene cognitis atque perſpectis & diagnoſis & prognoſis noſtri affectus facilis erit. Primo itaque loco *Veri Aneuryſmatis Cauſas* evolvemus, quibus poſtea & illas *Spurii* ſubjungemus.

Cauſa proxima Veri Aneuryſmatis conſiſtit in dilatatione præternaturali tunicarum arteriæ. Diximus (§. IV.) arterias duplici motu, dilatatorio atque conſtrictivo, inſtructas eſſe; ſub priore ſanguine replentur, mediante poſteriore cruorem ulterius propellunt. Quo hoc rite peragi queat, ſufficiens tunicarum arteriam conſtituentium requiritur firmitas. Hac enim in quodam arteriæ loco imminuta, æquilibrium inter arteriæ latera ſanguinemque in illa impingentem adeo neceſſarium tollitur, arteria hoc in loco juſto plus dilatatur, parſque debilitata, ſubſiſtente cauſa dilatante, pedetentim in ſaccum attollitur. Vario vero modo tonus & elater tunicarum deperditur, atque naturali minor evadit, hinc etiam *Cauſæ Occaſionales* variæ eſſe ſolent. Etenim 1) tunicæ arteriarum exteriores, illæſa manente interiori, ictu (*a*), preſſione per oſſa fracta aut luxata, alliſione in corpora duriora contunduntur (*b*). 2) Niſu validiori, diſtentione, elevatione ponderis majoris, vomitu, tuſſi valida &c. diſtrahuntur, unde in arteriis brachialibus, cruralibus, carotidibus vel ſubclaviis Aneuryſmata frequenter naſci ſolent (*c*). 3) Inſtrumento acuto, ſcindente punguntur, diſcinduntur. 4) Decubitu humoris acerrimi (*d*), ab ulcere aut

 abſceſſu

abſceſſu manantis eroduntur (*e*). Eo certius vero hæc evenient, ſi cum recenſitis modo cauſis, *Remotæ* v. g. plethora, obſtructiones in finibus arteriarum, polypi, exoſtoſes, vehementes ſanguinis exagitationes, præcipue ſub ſpiritu cohibito, uti ſub partu contingere ſolet, inſuper concurrunt.

(*a*) Conf. HOLTORFF. *Diſs. de Aneurysmate in Capite Pueri XI. Annorum.* Argent. 1722. (*b*) LANCISIUS *de Motu Cordis & Aneuryſm. pag.* 235. (*c*) MEM. DE L'ACAD. DES SCIENCES. *l'Ann.* 1700. *Hiſt. p.* 50. VAN SWIETEN *Comm. in Boerh. Aphor. T. I.* §. 176. *p.* 288 (*d*) LANCISIUS *l. c. p.* 236. *& ſeq.* (*e*) Sunt, qui Aneuryſma quoque ex eroſione tunicarum internarum, illæſis manentibus externis, oriri poſſe ſibi perſuaſum habent; aſt in ingenii magis fœcunditate, quam in ratione & experientia hancce ſententiam fundatam eſſe, quivis æquus judex facile perſpiciet, cui perpendere lubet, ſanguinem tanta per arteriarum cavitatem ferri velocitate, ut eidem minime tempus ſufficiens concedatur, quo particulæ acres vaſorum parietibus ſeſe applicare, vim ſuam deleteriam in illos exerere, eosque corrodere poſſint.

§. VIII.

Spurii Aneuryſmatis *Cauſa proxima* in ſanguinis effuſione, extra limites arteriæ, in circumjacentem celluloſam tunicam, quærenda eſt. Minime vero talis effuſio locum habere poteſt, niſi plenaria continui ſolutio præceſſerit. Quidquid igitur continuitatem parietum arterioſi canalis ſolvit, ad *Cauſas remotas & occaſionales* jure refertur. Pertinent huc omnes cauſæ occaſionales Veri Aneuryſmatis §. præcedenti, num. 1. 2. 3. & 4. recenſitæ, ſi arteriæ lateribus majori vi applicantur, id eſt, ſi non

una

una vel altera ex tunicis, ſed cunctis continui ſolutionem perpeſſis, vulnus ſic ad vaſis cavitatem uſque pertingit. Cuivis exinde perſpicere licet, facilem Aneuryſmatis veri in ſpurium mutationem eſſe.

§. IX.

Traditis cauſis *Signa* quoque, & quidem primo, *Diagnoſtica* nobis evolvenda ſunt. Ut vero ordine procedamus, diviſionem Aneuryſmatis (§. VI.) traditam in recenſendis ſignis ſequemur. Prodeat itaque primo loco *Verum*, & quidem *Externum*. Hoc adeſſe cognoſcimus 1) ſi cauſæ (§. VII.) memoratæ, prægreſſæ fuerunt; has dein tumor ad rotundam accedens figuram, in loco affecto excipit, ab initio quidem parvus, tractu temporis vero incrementa capiens. 2) Si pulſatio, pulſui cordis atque totius ſyſtematis arterioſi ſynchrona, in tali tumore manifeſte percipitur. Notandum vero ſignum hoc in Aneuryſmate parvo & incipiente quidem ſemper adeſſe, in magno vero ac inveterato ſæpius abeſſe; partim quia impetus ſanguinis a corde propulſi in diſtenta nimis arteriæ latera multum imminuitur, & hæc ob robur deperditum non valide ſatis in ſanguinem reagunt; partim ob craſſiores imo calloſas factas arteriæ tunicas; partim etiam ob congrumatum ex ſtagnatione redditum ſanguinem (*a*). 3) Si leni preſſione tumor vel plenarie evaneſcit, vel ſaltem notabiliter imminuitur,

nuitur, cessante vero pressione mox iterum ad pristinam redit magnitudinem. 4) Si tumor colorem cutis colori naturali similem exhibet. Sed notandum, recens atque parvum magis, quam inveteratum & magnum Aneurysma, signum hoc respicere; in adulto & magno enim cutis, per nimiam expansionem attenuata, a naturali colore sæpius recedere solet.

(a) Mem de l'Acad. Royale des Sciences. *l'Ann.* 1736. Et Blegny *Zod. Gall. Ann.* 1681. *Obs.* 3.

§. X.

Spuriæ Aneurysmatis *Notæ* sequentes sunt: 1) Causæ (§. VIII.) prægressæ. 2) Tumor, nec adeo elevatus, nec rotundus ac in Vero Aneurysmate, sed oblongus magis. 3) Tumor ab initio quidem mollis est, tractu temporis vero durior evadit, quoniam sanguis, extra circulationis sphæram constitutus, coagulatur, & in grumos cogitur. Hinc 4) nullus in eodem pulsus tactu percipitur, sed, quamdiu sanguis extravasatus fluxilis adhuc existit, obscurus quidam motus instar aquæ bullientis sentitur. 5) Tumor compressione nec imminuitur, multo minus evanescit. 6) Insignem ex distensione cutis partiumque vicinarum dolorem conjunctum habet hæc morbi species. 7) Colore non raro livido, nonnunquam nigricante cutis deturpatur.

§. XI.

§. XI.

Interni Aneurysmatis *Diagnosis*, cum malum externos sensus fugiat, difficilis admodum existit. Sequentia interim signa haud ita obscure ejus præsentiam arguunt. 1) Si percussio vel vulneratio prægressa fuit. 2) Si, curata contusione vel vulnere, levis sed molestus sensus in parte affecta remanet. 3) Accedens demum profunda quædam eo in loco pulsatio, quæ cordis ictibus respondet. 4) Lipothymiis atque doloribus internis, quorum causæ ignotæ sunt, nec ulla arte expugnari possunt, ægroti excruciantur. LANCISIUS (*a*) sequentia de Aneurysmatibus internis tradit signa. „ Incipiunt, „ inquit, plerumque apud ægros erodentibus ichoribus refertos ab universali quadam spasmodica „ arteriarum affectione, quæ postremo in corde „ aut summis vasis determinatur. Quo fit, ut plurimum de vaga, atque huc illuc per collum & „ artus errante arteriarum palpitatione conqueran- „ tur. Deinde intra pectus malum sistitur, sæpe „ tussis urget, cor salit, & gravius pulsat, mox „ sepultus, ac brevi fugitivus corripit dolor, qui „ postea pertinacius hæret, & modo ad alteram „ scapulam, claviculamve, modo per brachium, „ quandoque usque ad cubitum propagatur. Tandem profunda persentitur pulsatio, elevantur alicubi costæ aut sternum. "

(*a*) *Operum Omnium Tom. I. Libr. II. Observ. V. de Repent. Morb. p.* 160.

§. XII.

Prognosis nostri affectus pro ratione causæ eundem producentis, speciei ad quam refertur, loci, in quo occurrit, temporis per quod duravit, variat, atque vel fausta vel infausta existit. 1) In genere itaque tenendum, quod, si ægroti solida optime constituta sunt, corpus laudabilibus succis redundat, arteria læsa externa atque parva est, & non procul ab osse distat, malum recens adhuc existit, bonum prænunciare eventum liceat. Quod si vero æger debili constitutione instructus est, corpus pravis succis refertum existit, arteria læsa insignis, aut in interioribus latet, malumve inveteratum est, tunc Aneurysma incurabile est. Quid ergo de THOM. BARTHOLINI timore, quando (*a*) dicit: „ Deum soleo precari, ut hujusmodi casus „ vel avertat, vel meæ curæ subtrahat," judicandum sit, patet. 2) Aneurysma Verum, ex sola dilatatione ortum ducens, minoris periculi facilioriſque curæ est, quam ubi quædam ex tunicis ruptæ, discissæ aut exesæ sunt, vel spurium est; difficulter enim ob perpetuum arteriæ motum tunicæ ad consolidationem perducuntur; in spurio vero sanguis tractu temporis putrescit, gangræna & mors tandem scenam claudunt. 3) Ab internis & occultis Aneurysmatibus repentinos morbos, mortemque subitaneam provenire, testatur LANCISIUS (*b*). 4) Aneurysma sponte & inopinato ruptum, ob enormem sanguinis hæmorrhagiam cito ægrotum jugu-

jugulat, nisi sanguis cito iterum sistitur. 5) Idem evenire solet, si Aneurysma a Chirurgo, quasi abscessus aliquis, imprudenter aperitur (c). 6) Aneurysma externum, in trunco arteriæ, antequam bifida fit, occurrens, sæpissime, cum totum membrum præcidendum sit, funestum est.

(a) *Cent.* 3. *Epist.* 53. (b) *l. c. Lib. I. Cap. XIX. p.* 63.
(c) Ruysch. *l. c. Obs. XXXVIII.*

§. XIII.

Cura Aneurysmatis duplex est, vel α) *Palliativa*, vel β) *Vera*. *Vera* vel 1) *Compressione*, vel *Operatione* obtinetur. Prouti nunc Aneurysma, quod Artis Magister tractandum in se suscipit, ad hanc vel illam speciem pertinet, ita etiam hanc vel illam methodum, quo scopum suum obtinere queat, seligere debet. Aneurysma Verum externum, utramque curæ veræ speciem admittit, spurium non nisi operatione tollitur. Internum palliative tantum tractari potest, quoniam manus chirurgica loco affecto immediate applicari minime potest.

§. XIV.

Quod *Veri Aneurysmatis Externi Curam* attinet, locus, quem occupat, tempus, per quod jam duravit, tumoris magnitudo determinabunt, quænam methodus Chirurgo sit adhibenda. Quodsi

itaque

itaque Aneurysma tali in parte occurrit, in qua arteria commode & sufficienter comprimi queat, qualis arteria brachialis, imo & interdum cruralis (*a*) existit, si recens nec inveteratum idem est, tumorque sanguine fluxili, nec coagulato repletur, nec in nimiam magnitudinem jamjam excrevit, commode compressio adhibetur. Crudele enim foret ægrotum operationis periculo exponere, ubi blandiori via curatio obtineri potest. Duplici vero modo *Compressio* peragitur, nimirum vel *splenii atque fasciis*, vel *mediantibus propriis quibusdam instrumentis*, hunc in finem a Chirurgis excogitatis. Hanc vero ipsam deligandi, aut machinas applicandi methodum antequam describo, quid Magistro ante & post compressionem agendum sit, paucis indicare lubet.

(*a*) Conf. Besse Quæst. Parisina *Utrum Aneurysmati cruralis arteriæ ligatura?* 1752.

§. XV.

Ante compressionem examinet Chirurgus 1) an plethora adsit? quæ V. S. &, si opus, repetita, tollatur, quo sanguis in tumore contentus eo facilius in arteriam reprimi, atque apta deligatione, vel instrumento retineri queat. Eadem ex ratione 2) remedia refrigerantia, temperantia adhibeat, si sanguinem atque humores, in orgasmo constitutos, ex suis signis cognovit. 3) Tandem, si corpus impuris succis refertum atque humores acrimo-

acrimonia peccantes invenit, hanc corrigat, & impuritates per convenientia loca e corpore eliminet, quo ulteriorem morbi progressum, novumque acris humoris ad arterias decubitum, novo malo generando aptum, præcaveat. *Compressione peracta* medicationi num. 2) & 3) indicatæ, si opus, per tempus adhuc insistat, tandemque convenientem diætam vitæque regimen his subjungat, quo eo certius, ne recidivus morbus fiat, caveatur.

§. XVI.

Compressio, quæ spleniis & fasciis fit, sequentem in modum instituitur. Ante omnia sanguis ex tumore reprimi debet, locusque arteriæ affectus alcohole vini, decocto herbarum aromaticarum cum vino parato, vel aqua quadam vulneraria foveri potest. Huic postea loco emplastrum aliquod adstringens, ipsique emplastro frustulum chartæ masticatæ, beneque rursus expressæ, vel etiam nummus, splenio cuidam involutus, aut lamina plumbea imponuntur, quibus postmodum adhuc, quo melius arteria comprimi queat, bina vel terna alia splenia satis crassa, gradatim latiora, super imponuntur, brachium postmodum, (supponimus enim Aneurysma circa flexuram cubiti in arteria brachiali existere,) paululum inflectitur, fascia dein,

quinque vel ſex ulnas longa, binoſque digitos lata, uno capite comprehenſa, binis vel tribus ductibus primo ſupra cubiti flexuram injicitur. Tum oblique introrſum ſupra ſplenia ducitur, factoque infra cubiti flexuram circuitu, obliquo ductu iterum ſuper eundem locum ſurſum ducitur, ita ut integer faſciæ circuitus numeri 8 figuram, in flexura vero litteram X repræſentet. Hi ductus quinquies vel ſexies repetuntur, pauloque fortius, quam in deligatione poſt inſtitutam V. S. fieri ſolet, adſtringuntur. Poſtmodum ſplenium anguſtum atque longiuſculum primariæ brachii arteriæ a cubiti flexura fere ad alam uſque, ſecundum decurſum hujus arteriæ exactiſſime ſuperimponitur, & per faſciæ ductus ſpirales ſatis adſtrictos ad ſupremum uſque humerum promotos, appreſſum tenetur. Hoc artificio nimius ſanguinis ad locum affectum affluxus, qui felicem curæ eventum irritum reddere poſſet, facile impeditur. Faſcia poſtmodum a ſummo humero circum dorſum, per oppoſiti brachii alam, circum præcordia obliquo ductu injicitur, & poſtquam læſi brachii humerum iterum attigit, ductibus ſpiralibus, prioribus contrariis, flexuram cubiti verſus ducitur, tandemque ubi finitur, rite firmatur. Brachium poſtea ad perfectam uſque ſanationem interdiu mantili ſive mitella quadam de collo ſuſpenſa, excipitur; noctu vero ſuper molli quodam pulvinari reponi debet.

Relin-

Relinquitur ita fascia, donec morbus sublatus est, id quod pro ratione gravitatis mali, spatio quadraginta dierum, aut aliquot mensium, imo post illud demum quandoque contingere solet. Si forte vincula temporis tractu justo laxiora reperiuntur, cautissime resolvi atque denuo fortius applicari debent. Hunc in finem Magister, ut splenia Aneurysmati imposita, ipsaque arteria, manibus a ministro adstante, sufficienter comprimantur, curat, dum ipse ligaturam solvit, & quamprimum superior brachii pars libera est, torcular brachiali arteriæ applicat, reliquum fasciæ solvit, & denuo eandem, uti supra indicatum, injicit. Quodsi ex nimia constrictione tumor in brachio oritur, medicamentis inflammationi atque gangrænæ contrariis is fovendus, atque ligatura paulo laxius injicienda est. Si cui hæcce methodus tædiosa nimis videtur, instrumenta hunc in finem ab Artis peritis excogitata ejus loco in usum vocare poterit. Delineantur nobis talia a SCULTETO (*a*), BOURDELOTIO (*b*), HEISTERO (*c*), FAGETO (*d*), aliisque. Paribus vel ligaturis vel machinis ad præcavendam Aneurysmatis spurii generationem, si arteria loco venæ infausto casu secta fuerit, Chirurgus utatur (*e*).

(*a*) *Armament. Chirurgico, Tab. XVIII. fig. 4. Edit. ann. 1666.* 4to.

(*b*) Qui pro proprio corpore, ob arteriam brachialem in infelici V. S. apertam, ad aneurysma inde ortum curandum, machinam,

 quam

quam *Ponton* vocavit, invenit. conf. BLEGNY *Zod. Med. Gall.* ann. 1681. Mens. Mart. *Obs. IV.* & DIONIS *Cours d'Oper. de Chirurg. cum not. de la Faye p.* 697.

(c) *Institut. Chirurg. P. II. Sect.* 1. *Cap. XIII. Tab. XI. fig.* 8. 9.

(d) GAUTIER *Obs. sur l'Hist. Nat. sur la Physique &c. T. I. p.* 94.

(e) GARENGEOT *Trait. des Oper. de Chirurg. T.* 3. *p.* 231.

§. XVII.

Quod si vero Aneurysma Verum jamjam inveteratum & magnum nimis existit, aut spurium est, a scalpello unice præsidium peti poterit. Triplici potissimum ratione Aneurysmatis operatio institui solet. Antequam vero eandem breviter describam, paucis *Apparatum*, ad eandem necessarium, indicabo. Ad manus sint: 1) Torcular, ad constringendam arteriam. 2) Scalpellum, pro denudanda atque aperienda arteria. 3) Aliquot uncinuli. 4) Spongia cum vino vel spiritu vini calido. 5) Forfex obtuso apice instructa. 6) Specillum sulcatum. 7) Linamentum carptum sufficiens. 8) Splenia quædam quadrata diversæ magnitudinis; aliud angustum crassum spithamam longum; duo linteamina longa, quibus totum brachium involvi potest; duæ vel tres fasciæ, binos transversos digitos latæ, longitudine illas, quas post institutam V. S. adhibere solent, ter vel quater superantes. 9) Frustulum Vitrioli cœrulei, vel Liquor stypticus Weberi,

beri, vel Bovista, vel Fungus Brossardianus, vel Butyrum Antimonii. 10) Acus curva, aut magis idonea, Petitiana, duplici aut triplici filo cerato instructa. 11) Quatuor ministri Operatorem juvantes.

§. XVIII.

Nunc, qua ratione *Operatio* institui soleat, conciso sermone indicandum est.

I. *Quidam Chirurgi*, ægroto, in convenientem situm collocato, atque torculari, super arteriæ brachialis initio exactissime applicato, & tamdiu adstricto, donec nullus amplius in carpo sentiatur pulsus, cutem, dein arteriam, si Aneurysma Verum est, incidunt scalpello, eoque in specillo post cutis aperturam tunc ducto, ab inferioribus sursum, secundum longitudinem atque decursum arteriæ, plagam ampliant, cruorem atque materiam omnem, vel linamento carpto, vel spongia extergunt, hisque peractis, torcular relaxant, in vulnus arteriæ inquirunt, eique (*a*) unum ex stypticis (n. 8. §. præced.) recensitis applicant, & superinjectis aliquot spleniolis, gradatim latioribus, vulnus debito modo deligant, atque convenienti methodo ad consolidationem perducunt.

(*a*) Cum post casum escharæ a stypticis productæ, non raro hæmorrhagia enormis denuo recrudescere soleat, ita ut ad illam

compescendam ad ligaturam confugere necesse sit, hanc ab initio statim adhibitam stypticis multis parasangis præfero.

§. XIX.

II. *Altera methodus* PURMANNI est. Hic, injecto prius, uti artis est, torculari, solam primo cutim, si Aneurysma verum est, incidit. Postea supra & infra tumorem positam arteriæ partem a nervis (*a*) adjunctis diligenter separat, uncinuli ope ita elevat, ut arteria, utrinque trajecta, subter eadem acu curva, filo triplici cerato instructa, constringi queat, tumorem dein inter utramque vincturam medium (*b*) scalpello exscindit, vulneri debito modo prospicit, deligat, & ad consolidationem perducit.

III. *Operationis rationem* ANELLIO debemus, qui sequentem in modum rem aggreditur. More consueto nempe torcular primo applicat, omnem deinde sanguinem, si fieri potest, inferiora versus, ex tumore exprimit, cutim postea, intacto relicto Aneurysmate, longitudinaliter scalpello incidit, arteriam supra tumorem a circumjacentibus partibus omni cura separat, filoque, methodo (n. 11.) indicata, trajecto, arteriam isto in loco, repetitis vicibus, tamdiu constringit, donec, relaxato torculari, ne minimum sanguinis in relaxatam arteriæ partem

partem profluat. Hocce peracto plagæ prospicit, eamque filo tamdiu in illa relicto, donec sponte sua cadat, ad cicatricem perducit.

(a) Exempla ligati simul cum arteria nervi, absque ullo notabili subsecuto periculo, videsis in Bononiens. Scient. Institut. Comm. *T. II. Part.* 2. *p* 85.

(b) Plenariam tumoris extirpationem Purmannus hac ex ratione potissimum suadet, quo scilicet retractis arteriæ discissæ oris, periculosa hæmorrhagia eo certius præcaveatur; ast noxiam vel saltem supervacaneam esse ipsam hanc operam sequentes persuadent rationes. 1) Ipso hoc negotio præter necessitatem in longum protrahitur operatio. 2) Si forte inconsiderate nimis præscinditur arteria, tunc eo facilius hæmorrhagia lethalis metuenda est, quoniam casu soluto vinculo retractæ arteriæ lumen ægre detegi poterit. 3) Si collaterales, a brachiali descendentes, arteriæ eum in locum vasis arteriosi, ubi aneurysmate affectum est, aperiuntur, extirpato sacco arteriæ, hæ collaterales, patulæ redditæ, sanguinem ex oris suis ægerrime compescendum effundent. Vid. Winslow *Trait. des arter.* §. 134. seqq. Ess. d'Edinb. *T. II. Obs.* 17. Comm. Acad. Bonon. *l. c.*

§. XX.

Operatione feliciter *peracta*, prima deligatio, nisi graves causæ, quales hæmorrhagia, inflammatio &c. sunt, id suadent, ante quartum, aut ad minimum, tertium diem, nunquam resolvi debet. Levato postea apparatu balsamicis vulnus deligandum, ægerque instar vulnerati tractandus est. Strictam hinc etiam diætam, vitæque regimen, quale

le præsens status requirit, observet. Quodsi primis diebus sanguinis orgasmus animadvertitur, vel præternaturalis calor exoritur, febrisque sic vulneraria adest, V. S. &, si opus, repetita instituenda, & remedia temperantia, antiphlogistica in usum vocanda sunt. Eum in finem etiam, si hocce sub tempore brachium manusque affecta de inflammatione periclitatur, fomenta discutientia, reprimentiaque, si vero necrosis metus subest, quod ex frigore notabili & pulsu deficiente suspicamur, spirituosa & aromatica, ad perfricandum medicandumque in usum trahenda sunt. Morbo denique superato, roborantibus, nervinisque tonus membri debilitatus restituendus erit.

§. XXI.

Tandem etiam ad *Curam internorum Anevrismatum* devolvimur, quæ palliativam tantum ex fonte saltem chirurgico, respectu reliquarum specierum (§. XIII.) admittere innuimus. Prostant tamen exempla (*a*) talium Aneurysmatum, quæ adhibitis causæ morbi appropriatis remediis internis feliciter atque perfecte curata fuerunt. Ast non quodvis Aneurysma internum tolli radicitus potest; causæ enim, quæ illud produxerunt, & tempus

pus, per quod duravit, perfectam quandoque curam difficilem reddunt. Hinc Aneurysma internum, quod contusioni, distractioni, læsioni mediante instrumento acuto, scindente originem debet, quod magnum nimis & inveteratum est, palliative tantum curari potest, quoniam partim appropriata malo medicamenta affectæ parti immediate applicari nequeunt, partim quia morbi vis vires medicamentorum longe exsuperat, juxta tritum illud:

Non est in Medico semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Illa tamen Aneurysmatis interni species, cui acrimonia humorum natales præbet, & quod nec nimis magnum, nec inveteratum est, quandoque ex voto curari potest.

(a) LANCISIUS *de Motu Cord. & Aneurysm. p. 278. Prop. XLVI.*

§. XXII.

Hujus *Cura* sequentibus nititur *Indicationibus.* 1) Plethora, si quæ adest, imminuenda. 2) Primæ viæ a cruditatibus liberandæ. 3) Acrimonia humorum corrigenda, & per colatoria cutis aut renum e corpore eliminanda. 4) Tonus partium debilitatarum roborandus est.

 1) *Indi-*

1) *Indicatio* adimpletur V. S. & si opus repetita. 2) *Indicationi* satisfaciunt Remedia laxantia, Rhabarbarum, Cassia, Tamarindi, Manna, Folliculi & Folia Sennæ, Flores Acaciarum, Persicorum &c. e quibus Infusa per epicrasin laxantia, vel Potiunculæ laxantes parari possunt. 3) *Indicationi* respondent Temperantia, Absorbentia, diaphoresin diuresinve promoventia, Lapid. ♋. ppt. & citr. C.C. ph. ppt. ♄. diaph. Bezoard. min. Kerm. mineral. Magnes alb. ☽, ♄. &c. Curæ vernales, Juscula cum succo expresso Herb. Antiscorb. Cochlear. Nasturt. Beccabung. Acetos. Rad. Cichor. Lapath. acut &c. parata. Lac caprillum vel asininum solum, vel cum aquis Mineralibus, præsertim Selterana, mixtum, serum Lactis dulce, Decocta sudorifera dilutiora, Tinct. ♃ii acr. & ♀sata. Essent. Succin. Spirit. ♀r. 4) *Indicationi* satisfaciunt Roborantia, Stomachica: Pulv. Stomach. Birkmanni, Elix. Stomach. Hoffm. Tinct. ☉l. ♂t. Lud. ♂t. Wedel. cum Succo Pomor. Rhabarbarina & præcipue Chinata. Quamvis lubentes concedamus roborantia hæc non semper ad locum usque primario affectum pertingere, insignem tamen usum primas vias roborando præstant; etenim novus sic cruditatum proventus, novam gignens acrimoniam, impeditur. Quod *Diætam* attinet, cibis uti eupeptis, nec qualitate peccantibus, æger debet. Vini, & spirituosorum liquorum potum, ex animi

pathe-

pathematibus iram, mœrorem atque triſtitiam, nimiumque motum, quippe quæ omnia, partim ſanguinem nimis exagitant, partim tono atque robore naturali corpus exuunt, angue pejus & cane fugiat. His, debito ordine atque tempore uſurpatis, malum plenarie tolli, aut ſaltem multum imminui, ſpes erit. Hæc ſunt, quæ tenues vires de Themate propoſito diſſerere permiſerunt. Si quædam non adamuſſim dicta, aut penitus omiſſa notabit B. L. ut juveni, conſummata ſcientia experientiaque deſtituto, condonet, eſt, quod enixe rogo. DEO interim T. O. M. pro conceſſis hucuſque viribus ſit Laus, Honor & Gloria.

F I N I S.



Q. D. B. V.

6

MEDICA INAUGURALIS

DE

RYSMATE

QUAM

RCHIATRO PRÆSIDE

ET AUCTORITATE

ACULTATIS MEDICÆ

NTORATENSIS

LICENTIA

RTE MEDENDI HONORES

EGIA DOCTORALIA

IME OBTINENDI

ORUM EXAMINI SUBMITTIT

THEOPHILUS GIBOLLET

DIENSIS HELVETIUS

SEPTEMBRIS MDCCLVII

H. L. Q. C.

ENTORATI

RICI HEITZII Universitatis Typographi.